

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**De paenitentia**

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens**

**Tübingen, 1910**

De paenitentia

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-3092](#)

## DE PAENITENTIA.

---

**1** 1 Paenitentiam hoc genus hominum, quod et ipsi retro fuimus, caeci, sine domini lumine, natura tenuis norunt passionem animi quandam esse, quae ueniat de offensa sententiae peioris. 2 ceterum a ratione eius tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore. quippe res dei ratio,<sup>5</sup> quia deus omnium conditor nihil non ratione prouidit, disposuit, ordinauit, nihilque non ratione tractari intellegique uoluit. 3 igitur ignorantes quique deum rem quoque eius ignorent necesse est, quia nullus omnino thesaurus extra-neis patet. itaque uniuersam uitiae conuersationem sine gu-<sup>10</sup> bernaculo rationis transfretantes, imminentem saeculo pro-cellam uitare non norunt. 4 quam autem in paenitentiae actu inrationabiliter diuersentur, uel uno isto satis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis suis adhibent. paenitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiae, misericordiae,<sup>15</sup> prout quid in ingratiam cecidit. 5 semetipsos exsecrastantur, quia benefecerint, eamque maxime paenitentiae speciem, quae optimis operibus inrogatur, in corde figunt meminisse curantes, ne quid boni rursus praestent. contra paenitentiae malorum leuius incubant. denique facilius per eandem delin-<sup>20</sup> quunt, quam per eandem recte faciunt.

**2** 1 Quod si dei ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primo paenitentiae spenderent nec umquam eam ad argumentum peruersae emendationis adhibe-

rent, modum denique paenitendi temperarent, quia et delinquendi tenerent, timentes dominum scilicet. 2 sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla; ubi emendatio nulla, paenitentia necessario uana, quia caret fructu suo, cui eam deus seuit, id est hominis saluti. 3 nam deus post tot ac tanta delicta humanae temeritatis a principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum saeculi dote, post eiectum paradiso mortique subiectum, cum rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in 10 semetipso paenitentiam dedicauit, rescissa sententia irarum pristinarum ignoscere pactus operi et imagini sua. 4 itaque et populum sibi congregauit et multis bonitatis sua largitionibus fouit et ingratissimum totiens expertus ad paenitentiam semper hortatus est et prophetando uniuersorum prophetarum emisit ora; mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per spiritum suum uniuerso orbi inluminaturus esset, praeire intinctionem paenitentiae iussit, si quos per gratiam uocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per paenitentiae subsignationem 15 ante componeret. 5 non tacet Iohannes, *paenitentiam initote* dicens, *,iam enim salus nationibus appropinquabit*, dominus scilicet adferens secundum dei promissum. 6 cui praeministrans paenitentiam destinabat purgandis mentibus praepositam, uti quidquid error uetus inquinasset, quidquid in 20 corde hominis ignorantia contaminasset, id paenitentia uerrens et radens et foras abiciens mundam pectoris domum superuenturo spiritui sancto paret, quo se ille cum caelestibus bonis libens inferat. 7 horum bonorum unus est titulus: salus hominis, criminum pristinorum abolitione praemissa. 25 haec paenitentiae causa, haec opera negotium diuinae misericordiae curans. quod homini proficit, deo seruit.

---

11 Vgl. Gen. 1, 27. 16 Vgl. Hebr. 1, 1. 1. Petr. 1, 20. 20 Matth. 3, 2. 26 Vgl. Matth. 12, 44.

8 Ceterum ratio eius, quam cognito domino discimus, certam formam tenet, ne bonis umquam factis cogitatisue quasi uiolenta aliqua manus iniciatur. 9 deus enim reprobationem bonorum ratam non habens, utpote suorum: quorum cum auctor et defensor sit, necesse est proinde et acceptator; 5 si acceptator, etiam remunerator. 10 uiderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis paenitentiam cogit. uiderit et gratia, si captatio eius ad benefaciendum incitamento est: terrena, mortalis utraque. 11 quantulum enim compendii, si grato benefeceris? uel dispendii, si ingrato? bonum 10 factum deum habet debitorem, sicuti et malum, quia iudex omnis remunerator est causae. 12 at cum iudex deus iustitiae, carissimae sibi, exigendae tuendaeque prae sideat et in eam omnem summam disciplinae suae sanciat, dubitandum est, sicut in uniuersis actibus nostris, ita in paenitentiae 15 quoque causa iustitiam deo praestandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodo adhibetur. 13 porro peccatum nisi malum factum dici non meretur, nec quisquam benefaciendo delinquit. 14 quodsi non delinquit, cur paenitentiam inuadit delinquentium priuatum? cur malitiae officium bonitati suae imponit? ita euenit, ut, cum aliquid ubi non oportet adhibetur, illic ubi oportet neglegatur.

**3** 1 Quorum ergo paenitentia iusta et debita uideatur, id est, quae delicto deputanda sint, locus quidem expostulat denotare, sed otiosum uideri potest. 2 domino enim cognito 25 ultro spiritus a suo auctore respectus emergit ad notitiam ueritatis et admissus ad dominica paecepta ex ipsis statim eruditur, id peccato deputandum, a quo deus arceat; quoniam, cum deum grande quid boni constet esse, utique bono nisi malum non displiceret, quod inter contraria sibi nulla 30 amicitia est.

3 Perstringere tamen non pigebit, delictorum quaedam esse carnalia, id est corporalia, quaedam uero spiritalia. nam cum ex hac duplicitis substantiae congregatiōne confectus

homo sit, non aliunde delinquit, quam unde constat. 4 sed non eo inter se differunt, quod corpus et spiritus duo sunt — alioquin eo magis paria sunt, quia duo unum efficiunt, — ne quis pro diuersitate materiarum peccata eorum discernat, 5 ut alterum altero leuius aut grauius existimet. 5 siquidem et caro et spiritus dei res, alia manu eius expressa, alia adflatu eius consummata. cum ergo ex pari ad dominum pertineant, quodcumque eorum deliquerit ex pari dominum offendit. 6 an tu discernas actus carnis et spiritus, quorum 10 et in uita et in morte et in resurrectione tantum communionis atque consortii est, ut pariter tunc aut in uitam aut in iudicium suscitentur, quia scilicet pariter aut deliquerint aut innocenter egerint? 7 hoc eo praemiserimus, ut non minorem alteri quam utriusque parti, si quid deliquerit, 15 paenitentiae necessitatem intellegamus impendere. communis reatus amborum est, communis et iudex, deus scilicet; communis igitur et paenitentiae medela.

8 Exinde spiritualia et corporalia nominantur, quod delictum omne aut agitur aut cogitatur: ut corporale sit, quod 20 in facto est, quia factum ut corpus et uideri et contingi habet; spiritale uero, quod in animo est, quia spiritus neque uidetur neque tenetur. 9 per quod ostenditur, non facti solum, uerum et uoluntatis delicta uitanda et paenitentia purganda esse. neque enim, si mediocritas humana de 25 factis solum iudicat, quia uoluntatis latebris par non est, idcirco crimina eius etiam sub deo neglegamus. 10 deus in omnia sufficit; nihil a conspectu eius remotum, unde omnino delinquitur, quia non ignorat nec omittit, quominus in iudicium decernat. dissimulator et praeuaricator perspicaciae suae non est. 11 quid? quod uoluntas facti origo est? uiderint enim, si qua casui aut necessitati aut ignorantiae imputantur, quibus exceptis iam non nisi uoluntate delinquitur. 12 cum ergo facti origo est, non tanto potior ad poenam est, quanto principalis ad culpam, quae ne tunc

quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit. ipsa enim sibi imputatur nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod suum fuerat. 13 denique dominus quemadmodum se adiectionem legi superstruere demonstrat, nisi et uoluntatis interdicendo delicta? 5 cum adulterum non eum solum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset, uerum etiam illum, qui adspectus concupiscentia contaminasset. 14 adeo quod prohibetur administrare, satis periculose animus sibi repreäsentat et temere per uoluntatem expungit effectum. cuius uo- 10 luntatis cum uis tanta sit, ut non solacium sui saturans profacto cedat, pro facto ergo plectetur. 15 uanissimum est dicere: „uolui, nec tamen feci.“ atquin perficere debes, quia uis, aut nec uelle, quia nec perficis. 16 sed ipse conscientiae tuae confessione pronuntias. nam si bonum concupisceres, 15 perficere gestisses; porro sicut malum non perficis, nec concupiscere debueras. quaqua te constitueris, crimine adstringeris, quia aut malum uolueris aut bonum non admpleueris.

4 1 Omnibus ergo delictis seu carne seu spiritu seu 20 facto seu uoluntate commissis, qui poenam per iudicium destinauit, idem et ueniam per paenitentiam spondit dicens ad populum: *paenitere, et saluum faciam te.* 2 et iterum: *uiuo, inquit dominus, et paenitentiam malo quam mortem.* ergo paenitentia uita est, cum praeponitur morti. eam tu 25 peccator, mei similis — immo me minor, ego enim praestantiam in delictis meam agnosco, — ita inuade, ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem. 3 haec te peccatorum fluctibus mersum proleuabit et in portum diuinae clementiae protelabit. rape occasionem inopinatae felicitatis, ut ille tu 30 nihil quondam penes deum, nisi stilla situlae et areae puluis

7 Vgl. Matth. 5, 27 f. 23 Ezech. 18, 23. 32. Jer. 1, 8. 24 Ezech. 33, 11. 26 Vgl. 1. Tim. 1, 15. 31 Vgl. Jes. 40, 15. Hos. 13, 3.

et uasculum figuli, *arbor* exinde fias illa, *quae penes aquas seritur et in foliis perennat et tempore suo fructus agit,* quae non ignem, non securim uidebit. 4 paeniteat errorum reperta ueritate, paeniteat amasse quae deus non amat, 5 quando ne nos quidem ipsi seruulis nostris ea, quibus offendimur, non odisse permittimus. obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est.

5 De bono paenitentiae enumerando diffusa et pro hoc magno eloquio committenda materia est. nos uero pro 10 nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod deus praecipit. 6 audaciam existimo de bono diuini praeepti disputare. neque enim, quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia deus praecepit. ad exhibitionem praeepti prior est maiestas diuinae potestatis, 15 prior est auctoritas imperantis, quam utilitas seruientis. 7 bonum est paenitere, an non? quid reuoluis? deus praecipit. at enim ille non praecipit tantum, sed etiamhortatur; inuitat praemio: salute; iurans etiam, *uiuo*, dicens, cupit credi sibi. 8 o beatos nos, quorum causa deus iurat! 20 o miserrimos, si nec iuranti domino credimus! quod igitur deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub deieratione testatur, summa utique grauitate et adgredi et custodire debemus, ut in adseueratione diuinae gratiae permanentes in fructu quoque eius et emolumento proinde 25 perseverare possimus.

5 1 Hoc enim dico, paenitentiam, quae per dei gratiam ostensa et indicta nobis in gratiam nos domino reuocat, semel cognitam atque susceptam numquam posthac iteratione delicti resignari oportere. 2 iam quidem nullum ignorantiae 30 praetextum tibi patrocinatur, quod domino agnito praecepitisque eius admissis, denique paenitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis. 3 ita in quantum ignorantia

1 Vgl. Jer. 19, 11. — Ps. 1, 3. 3 Vgl. Matth. 3, 10. 18 Ezech. 33, 11.

segregaris, in tantum contumaciae adglutinaris. nam si idcirco te deliquesce paenituerat, quia dominum coeperas timere, cur quod metus gratia gessisti rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? 4 neque enim timorem alia res quam contumacia subuertit. cum etiam ignorantes dominum 5 nulla exceptio tueatur a poena, quia deum in aperto constitutum et uel ex ipsis caelestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet, quanto cognitum despici periculosum est? 5 despicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intellegit fugiendum, quodque iam 10 fugit resumens, intellectui suo, id est dei dono, contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit, negat beneficium, cum beneficium non honorat. 6 quemadmodum ei potest placere, cuius munus sibi displicet? ita in dominum non modo contumax, sed etiam ingratus adparet.<sup>15</sup>

7 Ceterum non leuiter in dominum peccat, qui cum aemulo eius diabolo paenitentia renuntiasset et hoc nomine illum domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit et exultationem eius seipsum facit, ut denuo malus recuperata praeda sua aduersus dominum gaudeat. 8 nonne 20 quod dicere quoque periculosum est, sed ad aedificationem proferendum est diabolum domino paeponit? comparationem enim uidetur egisse qui utrumque cognouerit, et iudicato pronuntiasse eum meliorem, cuius se rursus esse maluerit. 9 ita qui per delictorum paenitentiam instituerat 25 domino satisfacere, diabolo per aliam paenitentiae paenitentiam satisfaciet erique tanto magis perosus deo, quanto aemulo eius acceptus.

10 Sed aiunt quidam satis deum habere, si corde et animo suspiciatur licet actu minus fiat; itaque se saluo 30 metu et fide peccare, hoc est, salua castitate matrimonia uiolare, salua pietate parenti uenenum temperare. 11 sic

6 Vgl. Röm. 1, 19. 11 Vgl. Weish. Sal. 7, 15.

ergo et ipsi salua uenia in gehennam detrudentur, dum saluo metu peccant. 12 primum exemplum peruersitatis; quia timent, delinquent; opinor, non delinquerent, si non timerent. 13 igitur qui deum nolit offendere nec reuereatur omnino, si timor offendendi patrocinium est. sed ista ingenia de semine hypocitarum pullulare consuerunt, quorum individua cum diabolo amicitia est, quorum paenitentia numquam fidelis.

6 1 Quidquid ergo mediocritas nostra ad paenitentiam semel capessendam et perpetuo continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos domino spectat, ut omnes salutis in promerendo deo petitores, sed praecipue nouitios istis imminet, qui cum maxime incipiunt diuinis sermonibus aures rigare quique catuli infantiae adhuc recentis nec perfectis luminibus incerta reptant et dicunt quidem pristinis renuntiare et paenitentiam adsumunt, sed includere eam neglegunt. 2 interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid ipse finis desiderandi; uelut poma cum iam in acorem uel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiae suae adulantur.

3 Omne praeterea cunctationis et tergiuersationis erga paenitentiam uitium praesumptio intinctionis importat. certi enim indubitatae ueniae delictorum medium tempus interim furantur et commeatum sibi faciunt delinquendi quam eruditionem non delinquendi. 4 quam porro ineptum, quam paenitentiam non adimplere et ueniam delictorum sustinere! hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. hoc enim pretio dominus ueniam addicere instituit; 30 hac paenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem. 5 si ergo qui uendant prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus neue rasus ne adulter,

1 Vgl. Matth. 11, 23.

etiam dominum credimus paenitentiae probationem prius inire, tantam nobis mercedem, perennis scilicet uitae, concessurum.

6 ,Sed differamus tantisper paenitentiae ueritatem. tunc, opinor, emendatos liquebit, cum absoluimur.<sup>4</sup> nullo pacto.<sup>5</sup> sed cum pendente uenia poena prospicitur, cum adhuc liberari non meretur, ut possimus mereri, cum deus comminatur, non cum ignoscit. 7 quis enim seruus, posteaquam libertate mutatus est, furga sua et fugas sibi imputat? quis miles, postquam castris suis emissus, pro notis suis satagit?<sup>10</sup> 8 peccator ante ueniam deflere se debet, quia tempus paenitentiae idem est quod periculi et timoris.

9 Neque ergo renuo diuinum beneficium, id est abolitionem delictorum, inituris aquam omnimodo saluum esse; sed ut eo peruenire contingat, elaborandum est. quis enim tibi,<sup>15</sup> tam infidae paenitentiae uiro, asperginem unam cuiuslibet aquae commodabit? 10 furto quidem adgredi et praepositum huius rei adseuerationibus tuis circumduci facile est; sed deus thesauro suo prouidet nec sinit obrepere indignos. quid denique ait? *nihil occultum, quod non reuelabitur.*<sup>20</sup> quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris: *deus lumen est.* 11 quidam autem sic opinantur, quasi deus necesse habeat praestare etiam indignis quod spopondit, et liberalitatem eius faciunt seruitutem. 12 quodsi necessitate nobis symbolum mortis indulget, ergo inuitus facit? quis enim<sup>25</sup> permittit permansurum id, quod tribuerit inuitus? 13 non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud auferuntur? hi sunt scilicet, qui obrepunt, qui paenitentiae fidem adgressi super arenas domum ruituram conlocant.

14 Nemo ergo sibi aduletur, quia inter auditorum tiro-<sup>30</sup> cinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat.

20 Matth. 10, 26.

21 1. Joh. 1, 5.

25 Vgl. Röm. 6, 3—6.

29 Vgl. Matth. 7, 26.

dominum simul cognoueris, timeas; simul inspexeris, reue-  
raris. 15 ceterum quid te cognouisse interest, cum iisdem  
incubas, quibus retro ignarus? quid autem te a perfecto  
seruo dei separat? an alius est intinctis Christus, alius  
5 audientibus? 16 num spes alia uel merces, alia formido  
iudicii, alia necessitas paenitentiae? lauacrum illud obsig-  
natio est fidei, quae fides a paenitentiae fide incipitur et  
commendatur. 17 non ideo abluimur, ut delinquere desina-  
mus, sed quia desiimus, quoniam iam corde loti sumus. haec  
10 enim prima audientis intinctio est: metus integer. exinde,  
quoad dominum senseris, fides sana, conscientia semel pae-  
nitentiam amplexata.

18 Ceterum si ab aquis peccare desistimus, necessitate,  
non sponte, innocentiam induimus. quis ergo in bonitate  
15 praecellens: cui non licet an cui displicet malo esse? qui  
iubetur an qui delectatur crimine uacare? 19 ergo nec a  
furto manus auertamus, nisi claustrorum duritia repugnet,  
nec oculos a stupri concupiscentiis refrenemus, nisi a custo-  
dibus corporum obstructi, si nemo domino deditus delin-  
20 quere desinet, nisi intinctione adligatus. 20 quodsi qui ita  
senserit nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare  
desierit, quam laetetur, quod euaserit. itaque audientes  
optare intinctionem, non praesumere oportet. 21 qui enim  
optat, honorat; qui praesumit, superbit. in illo uerecundia,  
25 in isto petulantia adparet; ille satagit, hic neglegit; ille  
mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit; ille sumit,  
hic inuadit. 22 quem censeas dignorem, nisi emendatiorem?  
quem emendatiorem, nisi timidiorem et idcirco uera paeni-  
tentia functum? timuit enim adhuc delinquere, ne non  
30 mereretur accipere. 23 at ille praesumptor, cum sibi repro-  
mitteret, securus scilicet, timere non potuit; sic nec paeni-  
tentiam impleuit, quia instrumento paenitentiae, id est metu,  
caruit. 24 praesumptio inuerecundiae portio est: inflat peti-  
torem, despicit datorem; itaque decipit nonnumquam. ante

enim quam debeatur repromittit, quo semper is, qui est praestatus, offenditur.

7 1 Hucusque, Christe domine, de paenitentiae disciplina seruis tuis dicere uel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus; uel nihil iam de paenitentia nouerint, nihil eius requirant. 2 piget secundae, immo iam ultimae spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio paenitendi spatium adhuc delinquendi demonstrare uideamur. 3 absit, ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad paenitendum, et redundantia clementiae caelestis libidinem faciat humanae temeritatis. 4 nemo idcirco deterrior sit, quia deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. ceterum finem utique euadendi habebit, cum offendendi non habebit. euasimus semel; hactenus periculis nosmetipsos inferamus, etsi iterum euasuri uidemur? 5 plerique naufragio liberati exinde repudium et nauis et mari dicunt et dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. laudo timorem, diligo uerecundiam; nolunt iterum diuinae misericordiae oneri esse: formidant uideri inculcare, quod consecuti sunt; bona certe sollicitudine iterum experiri uitant, quod semel didicerunt timere. 6 ita modus temeritatis testatio est timoris. timor autem hominis dei honor est.

7 Sed enim peruicacissimus hostis ille numquam malitiae sua otium facit. atquin tunc maxime saeuit, cum hominem plene sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. 8 doleat et ingemiscat necesse est, uenia peccatorum permissa tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suae erasos. dolet, quod ipsum et angelos eius Christi seruus ille peccator iudicaturus est.

11 Vgl. Röm. 5, 17. 23 Vgl. Sir. 1, 11. 31 Vgl. 1. Kor. 6, 3.

9 itaque obseruat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire aut animum inlecebris saecularibus inretire aut fidem terrenae potestatis formidine euertere aut a uia certa peruersis traditionibus detorquere; non 5 scandalis, non temptationibus deficit. 10 haec igitur uenena eius prouidens deus, clausa licet ignoscentiae ianua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. conlocauit in uestibulo paenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed iam semel, quia iam secundo; sed 10 amplius numquam, quia proxime frustra. 11 non enim et hoc semel satis est? habes, quod iam non merebaris; amisisti enim, quod acceperas. si tibi indulgentia domini accommodat, unde restituas, quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato. 12 maius est enim restituere 15 quam dare, quoniam miserius est perdidisse quam omnino non accepisse. uerum non statim succidendum ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis paenitentiae debitor fuerit. 13 pigeat sane peccare rursus, sed rursus paenitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum 20 liberari. neminem pudeat: iteratae ualetudinis iteranda medicina est. 14 gratus in dominum exstiteris, si quod tibi dominus offert, non recusaueris. offendisti, sed reconciliari adhuc potes. habes, cui satisfacias, et quidem uolentem.

8 1 Id si dubitas, euolue quae spiritus ecclesiis dicat: 25 desertam dilectionem Ephesiis imputat, stuprum et idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat, Sardos non plenorum operum incusat, Pergamenos docentes peruersa reprehendit, Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat: et tamen omnes ad paenitentiam commonet, sub comminationibus 30 quidem. 2 non comminaretur autem non paenitenti, si non ignosceret paenitenti. dubium, si non et alibi hanc clementiae suae profusionem demonstrasset. non ait: *qui ce-*

2 Vgl. 2. Petr. 2, 18. 25 Vgl. Apok. 2, 1—4. 26 Vgl. 2, 18—20.  
— 3, 1 f. 28 Vgl. 2, 12—14. 29 Vgl. 3, 14—17. 32 Jer. 8, 4.

*ciderit, resurget, et qui auersatus fuerit, conuertetur?* 3 ille  
 est scilicet, ille est, qui *misericordiam manuult quam sacrificia.*  
*laetantur caeli et qui illie angeli paenitentia hominis.*  
*heus tu, peccator, bono animo sis!* uides, ubi de tuo reditu  
*gaudeatur.* 4 quid illa similitudinum dominicarum argu-  
 menta nobis uolunt? quod mulier drachmam perdidit et  
 requirit et reperit et amicas ad gaudium inuitat, nonne  
 restituti peccatoris exemplum est? 5 errat et una pastoris  
 ouicula; sed grex una carior non erat; una illa conquiri-  
 tur, una pro omnibus desideratur et tandem inuenitur et 10  
 humeris pastoris ipsius refertur; multum enim errando labo-  
 rauerat. 6 illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui  
 prodigum filium reuocat et post inopiam paenitentem libens  
 suscipit, immolat uitulum praeopimum, conuiuo gaudium  
 suum exornat. *quidni?* filium enim inuenierat, quem ami- 15  
 serat, cariorem senserat, quem lucri fecerat. 7 quis ille no-  
 bis intellegendus pater? deus scilicet; tam pater nemo, tam  
 pius nemo. 8 is ergo te, filium suum, etsi acceptum ab eo  
 prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti, ma-  
 gisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate laeta- 20  
 bitur; sed si paeniteat ex animo, si famem tuam cum satu-  
 ritate mercenariorum paternorum compares, si porcos im-  
 mundum relinquas pecus, si patrem repetas uel offendum,  
*deliqui,* dicens, *pater, nec dignus ego sum iam uocari tuus.*  
 9 tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio 25  
 exaggerat. confessio enim satisfactionis consilium est, dis-  
 simulatio contumaciae.

**9** 1 Huius igitur paenitentiae secundae et unius, quanto  
 in arto negotium est, tanto operosior probatio, ut non sola  
 conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur. 30  
 2 is actus, qui magis Graeco uocabulo exprimitur et frequen-

2 Hos. 6, 6. (Matth. 9, 13. 12, 7.) 3 Vgl. Luk. 15, 7. 10. 6 Vgl.  
 15, 8—10. 8 Vgl. 15, 4—7. 12 Vgl. 15, 11—32. 15 Vgl. Luk. 15, 32.  
 21 Vgl. 15, 17. 24 15, 21.

tatur, ἐξομολόγησις est, qua delictum domino nostrum contemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione paenitentia nascitur, paenitentia deus mitigatur.

3 Itaque exhomologesis prosterendi et humiliandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiae inlicem. 4 de ipso quoque habitu atque uictu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum maeroribus deicere, illa, quae peccauit, tristi tractatione mutare; 10 ceterum pastum et potum pura nosse, non uentris scilicet, sed animae causa; plerumque uero ieuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari et mugire dies noctesque ad dominum deum tuum, presbyteris aduolui et caris dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere. 15 haec omnia exhomologesis, ut paenitentiam commendet, ut de periculi timore dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro dei indignatione fungatur et temporali afflictatione aeterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. 6 cum igitur prouolut hominem, magis releuat; 20 cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absoluit. in quantum non pepercerais tibi, in tantum tibi deus, crede, parcat.

10 1 Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores, quam salutis; uelut illi, qui in partibus uerecundioribus corporis contracta uexatione conscientiam medentium uitant, et ita cum erubescentia sua pereunt. 2 intolerandum scilicet pudori domino offenso satisfacere, saluti productae reformari. nae tu uerecundia bonus, ad 30 delinquendum expandens frontem, ad deprecandum uero subducens! 3 ego rubori locum non facio, cum plus de detimento eius adquiro, cum ipse hominem quodammodo ex-

7 Vgl. Jes. 58, 5.

hortatur: „ne me respexeris“, dicens, „per te mihi melius est perire“. 4 certe periculum eius tunc, si forte, onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur. ceterum inter fratres atque conseruos, ubi communis spes,<sup>5</sup> metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi domino et patre, quid tu hos aliud quam te opinaris? 5 quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? non potest corpus de unius membra uexatione laetum agere; condoleat uniuersum et ad remedium conlaboret necesse est.<sup>10</sup> 6 in uno et altero ecclesia est, ecclesia uero Christus. ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. aeque illi cum super te lacrimas agunt, Christus patitur, Christus patrem deprecatur. 7 facile impetratur semper, quod filius postulat. grande plane emolu-<sup>15</sup> mentum uerecundiae occultatio delicti pollicetur! uidelicet si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et deum celabimus? 8 adeone existimatio hominum et dei conscientia comparantur? an melius est damnatum latere quam palam absolui? 9 miserum est sic ad exhomologesin peruenire!<sup>20</sup> malo enim ad miseriam peruenitur; sed ubi paenitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. 10 miserum est secari et cauterio exuri et pulueris alicuius mordacitate cruciari; tamen quae per insuauitatem medentur et emolumento curationis offensam sui excusant et praesentum in-<sup>25</sup> iuriam superuenturae utilitatis gratia commendant.

**11** 1 Quid si praeter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra laetitiam oportet deuersari in asperitudine sacci et horrore cineris et oris de ieunio uanitate?<sup>30</sup> 2 num ergo in coccino et Tyrio pro delictis supplicare nos condecet? cedo acum crinibus distinguendis et puluerem dentibus elemandis et bisulcum aliquid ferri uel aeris ungu-

6 Vgl. Eph. 4, 4f. 9 Vgl. 1. Kor. 12, 26.

bus repastinandis, si quid facti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas urgeat. 3 praeterea exquirito balneas laetiores, hortulani maritimue secessus adictio ad sumptum, conquerito altilium enormem saginam, defaecato senectutem 5 uini; cumque quis interrogarit, cur animae largiaris: ,deliqui', dico, ,in deum et periclitior in aeternum perire; itaque nunc pendeo et maceror et excrucior, ut deum reconciliem mihi, quem delinquendo laesi'.

4 Sed enim illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet neque piget incommodis animae et corporis, nec incommodis tantum, uerum et contumeliis omnibus eniti in causa uotorum suorum. 5 quas non ignobilitates uestium affectant? quae non atria nocturnis et crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris 15 cuiusque personae decrescentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comensationibus congreges, sed exsules a libertatis et laetitiae felicitate, idque totum propter unius anni uolaticum gaudium. 6 nos, quod securum uirgarumue petitio sustinet, in periculo aeternitatis tolerare dubitamus? et castigationem uictus atque cultus offenso domino praestare cessabimus, quae gentiles nemine omnino laeso sibi inrogant? 7 hi sunt de quibus scripture commemorat: *uae illis, qui delicta sua uelut procero fune nectunt.*

**12** 1 Si de exhomologesi retractas, gehennam in corde 25 considera, quam tibi exhomologesis extinguet, et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. 2 quid illum thesaurum ignis aeterni aestimamus, cum fumariola quaedam eius tales flammarum ictus suscitent, ut proximae urbes aut iam nullae exstent, aut idem 30 sibi de die sperent? 3 dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fetu et, quod nobis iudicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum deuorentur, numquam tamen finiuntur. 4 quis haec supplicia interim montium non iudicii minantis

exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni aliqui et inestimabilis foci missilia quaedam et exercitoria iacula consentiet?

5 Igitur cum scias aduersus gehennam post prima illa intinctionis dominicae mumenta esse adhuc in exhomologesi 5 secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas adgredi, quod scias mederi tibi? 6 mutae quidem animae et inrationales medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. ceruus sagitta transfixus, ut ferrum et irreuocabiles moras eius de uulnere expellat, scit sibi dictamno 10 medendum. hirundo, si . . . excaecauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. 7 peccator restituendo sibi institutam a domino exhomologesin sciens praeteribit illam, quae Babylonium regem in regna restituit? diu enim paenitentiam domino immolarat, septenni squalore exhomologesin operatus, unguium aquilinum in modum efferatione et capilli incuria horrorem leoninum praferente. proh malae trac-  
tationis! quem homines perhorrebant, deus recipiebat. 8 contra autem Aegyptius imperator, qui populum dei aliquando afflictum, diu domino suo denegatum, persecutus in proelium 20 inruit, post tot documenta plagarum, discidio maris, quod soli populo <dei> peruum licebat, reuolutis fluctibus periit. paenitentiam enim et ministerium eius exhomologesin abiecerat.

9 Quid ego ultra de istis duabus humanae salutis quasi plancis, stili potius negotium quam officium conscientiae 25 meae curans? peccator enim omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi paenitentiae natus, non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque et stirpis humanae et offensae in dominum princeps Adam, exhomologesi restitutus in para-  
disum suum, non tacet. 30

14 Vgl. Da. 4, 33. 5, 19. 19 Vgl. Ex. 7—14. 30 Vgl. Vita Adae et Euae 40 (EFuchs bei EKautsch, die Apokryphen und Pseudepigraphen des AT. 2, 1900, 527; s. auch ErwPreuschen im Festgruss für BhdStade, 1900, 182 f.).